



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Quies hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS III. QUIES.

§. I. Quies Dei.

Quiescit Deus ab omni opere, quod pertraverat. Gen. 2. 2. Cum Angelorum innumeras differentias creasset; coelos, astra, terram, maria, corporumque varias naturas, condidisset; in his omnibus non quiescisti: sed homine condito, ut Scriptura ait: *quiescit &c.* In homine quiescit Deus; non in angelo, non in caelo: quia beneficiendi, innotescendique, sufficientem, affluentemque, sibi in eo materiam dari prospexit. S. Thom. Vill. l. 3, in Nat. D. Cum in die septimo requiescit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificavit eum; nequaquam est accipiendum pueriliter, tanquam Deus laboraverit operando: qui dixit, & facta sunt verbo intelligibili, & sempiterno; non sensibili, & temporali. Sed requies Dei requiem significat eorum, qui requiescunt in Deo: sicut læticia domus læticiam significat eorum, qui lætantur in domo; etiam si non eos domus ipsa, & alia res aliqua, lætos faciat. S. August. de Civ. l. 11. c. 8. Idem de Gen. ad lit. l. 4. c. 9. postquam de requie diei septimæ egisset, subdit: quid restat ut intelligamus, nisi fortè creaturæ rationali, in qua & hominem creavit, in seipso requiem præbuisse, post ejus perfectionem, per donum Spiritus S. per quem diffunditur charitas in cordibus nostris; ut illuc feramur appetitu desiderii: quò cum pervenerimus, requiescamus, id est, nihil amplius requiramus. Sicut enim rectè Deus dicitur facere, quidquid, ipso in nobis operante, fecerimus; ita rectè Deus dicitur requiescere, cum ejus munere requiescimus. *Requiescit*, id est, rationem creaturæ in se requiem dedit: ut illuc scilicet totò desiderio feramur, quò requiescamus. Hugo Card. hic.

En lectulum Salomonis. Cant. 3. 7. Incipientes dicuntur *lectulus*, quia in eis quiescit Christus: non tamen sunt *serculum*; quia non terunt Christum ad alios; generando ipsum in cordibus aliorum. S. Thom. Aqu. hic. Lect. 2.

Ecce sedes &c. Apoc. 4. 2. Per hanc sedem Christi in sanctis requies designatur: siquidem in illis, veluti in throno quodam, insidet. S. Andreas Cæsar. l. 4. hic.

Requies Dei rectè intelligentibus ea est, quæ nullius indiget bono. S. August. in Gen. ad lit. l. 4. c. 16.

Gratias Domino Deo nostro, qui hujusmodi opus fecit, in quo requiesceret. Fecit coelum; non lego, quòd requieverit, fecit terram; non lego, quòd requieverit; fecit solem, lunam, & stellas; nec ibi lego, quòd requieverit. Sed lego, quòd

fecerit hominem: & tunc requievit, habens, cui peccata dimitteret, aut fortè tunc jam futuræ Dominicæ Passionis præcessit mysterium, quòd revelatum est, quia Christus requievit in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redemptione. S. Ambros. hex. l. 3. c. 10.

Summæ dignitatis est homo. Vide, quantum sit coelum; terra, sol, & luna: nec tamen placuit in iis Domino, nisi in solo homine quiescere. S. Macarius hom. 15.

Homo fit Sabbathum Dei, & Deus Sabbathum hominis: cum & ipse in Deo, & Deus requiescit in eo. B. Petrus Dam. l. 3. ep. 5.

In nulla alia sic divinum illud Numen quiescit, ut in Sanctis. S. Gregor. Naz. or. 6. de Spiritu S.

§. II. Quies hominis.

Columna Noe, extra arcam, nullum locum ad quiescendum commodum reperiebat. Gen. 8. 9. Nullam requiem invenies, o columna mea, extra manus veri Noe Jesu Christi. Quamobrem ad ipsum, in quo consistit omnis requies, revertaris. Jonas Christum deserebat c. 1. 3. & separatus ab eo nihil, præter miseriam experiebatur. At verò, cum respiceret, requiem assecutus est. Stella de am Dei Med. 21.

Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transferunt, obliti sunt cubilis sui. Jeremi. 50. 6. Cubile, in quo anima nostra securè dormit, & quiescit, est Deus. Cæca autem mens hominum, securitatis, & quietis, cubili derelictò, per montes errabunda vagatur, varia hujus Mundi bona consectans; in quibus quietem se, & felicitatem, adepturam putat. Diez. Amor hom. erga Deum.

Fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. August. l. 1. Conf. c. 1.

Quies est apud te valde, & vita imperturbalis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui: & non timebit, & habebit se optimè in optimo. Defluxi abs te ego, & erravi, Deus meus! nimis de via à stabilitate tua, in adolescentia; & factus sum mihi regio egeitatis. Id. ib. lib. 2. c. 10.

Mens in Deo, non in patinis, dum editur, existat. S. Basiliius s. quod corpus instrum. an.

Allois Abbatis monitum: non habebit homo requiem, nisi dixerit in corde suo: ego, & Deus, solus sum in Mundo.